DE BLATTARIA. CAP. LXVI.

NOMINA.

Blattaria unde dicta.

NVM Græcis autoribus cognita hæc herba fuerit, nondum cõpertum habeo. Plinius certè libro xxij. cap. ix. Blattariam nominat. Inuenit autem nomen hoc Latinum, à colligendis in se blattis. Ideoq; cõuenientissimo nomine Germanis appellabitur Schabenkraut.

FORMA.

„ Plinius loco iam citato Blattariam sic pingit: Blattaria est similis Verbasco her-
„ ba, quæ sæpe fallit pro ea capta, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Ex qua pictura satis constat, herbam cuius picturam damus esse Blattariam: sic enim Verbascum mentitur, ut pro eo sæpius ab imperitis decerpatur. Et sunt non pauci herbarij, qui hac similitudine decepti, eam inter Verbasci genera connumerent. Folia tamen, quæ minimè sunt hirsuta & candida, sed potius uiridia, facilè ab hoc errore paulò attentiores reuocare possunt. Plures denicq; cauliculos habet, flores item luteos, ad Verbasci flores proximè accedentes. Folliculos quoque lini instar, in quibus semen continetur.

LOCVS.

Nascitur iuxta aquas, & fluminum ripas.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Vehemens amaritudo eius satis docet esse calidam & siccam.

VIRES. EX PLINIO.

Hæc abiecta blattas in se contrahit, ideoq; Romæ Blattariam uocant.

APPENDIX.

D Non plura de huius herbæ facultatib. apud probatos autores inuenio, sed haud dubiè si quis ea uti uoluerit, eadẽ quæ alia amara, in corpore nostro efficere potest. Quæ qualia sint, ex capite præcedente facilè intelliges.

DE BROMO.



BLATTARIA